

PETRI BEMBI AD NICOLAVM  
TEVPOLVM DE GVIDO VBALDO  
FERETRIO DEQVE ELISABETHA  
GONZAGIA VRBINI DVCIBVS  
LIBER.

EMBVS Teupole pater meus ; cum Venetias de Guidi Vbaldi Urbini Ducis morte  
b esset Senatui allatum ; magnum sane dolorem cepit ; quod uir diuino ingenio , admirabili doctrina , singula  
ri prudentia præditus , omni iure necessitudinis cum nostra  
rep. coniunctissimus , amplissimis in fortunis tum , cum flo-  
rere per ætatem inciperet , interceptus extinctusq; incredibile  
sui desiderium bonis omnibus reliquisset . Qua in re  
augebat eius molestiam ; quod uidebat ; propterea quia Iulius  
Pontifex maximus ei plurimum tribuebat ; magnum  
etiam imperium cius fidei commiserat ; eratq; nemo , cui ille  
uel plus consideret , uel in quem omnes honorum et dignitatis cumulos esset libentius collaturus ; ipsum e uita non  
satis suo tempore cesisse . Ad hæc etiam mea causa plurimum angebatur . Existimabat enim id , quod erat ; quia  
ego illum summopere amabam , colebam , in eius erga me  
amore atq; beniuolentia conquiescebam ; ille uero me admodum  
diligebat ; secum enim , quandiu mibi esse cum illo licuit , suauissimo in conuictu amantisime honorificen-  
tissimeq; detinuerat ; suo etiam testimonio apud Iulium  
Pont. max. sape ornauerat ; fore ; ut eius uiri interitus

A ii



effes Curtium tuum ; iaceret puto ille suo in lacu sine ul-  
lis tuis honoribus ; quos quidem illi maximos ac prorsus  
immortales tribuisti : sed quam tibi Apollo tuus in eius  
magnanimi uiri præclaro facinore heroicis illustrando fœ-  
licissimam operam nauauit ; eam tu profecto ad huius mu-  
lieris laudes uirtutes que celebrandas Deo etiam libentif-  
simo contulisses . Hæc ab illis cum dicerentur ; puer ad  
Sigismundum uenit nuntians a Pontifice tabellarios pro-  
pere uenisse cum litteris : quibus admisisis ille ad legen-  
das litteras se se dedit : nos , quoniam diei paulum admo-  
dum superabat , discesimus .

Venetis per Io. Ant. eiusq; fratres Sabios.  
Ann. M. D. XXX.

Hunc librum ne quis alius imprimat Pontificis Max .  
Senat. Venet. ceterorumque Italiæ Principum decretis  
cautum est .